

HISTORIÆ
GRÆCARUM LITTERARUM
ADUMBRATIO.

SPECIMEN PRIMUM.

SCRIPSIT

FRANCISCUS BRÜGGEMANN,

PHILOS. Dr.

ARNSBERGÆ

TYPIS CASPARI ANTONII DÜSER.

MDCCCXXXVII.

HEFT ORLINA

INHALT

Die erste Abtheilung enthält die Geschichte der Stadt Orlin, von ihrer Gründung bis zur Gegenwart. In der zweiten Abtheilung sind die geographischen, topographischen und statistischen Nachrichten über die Stadt und ihre Umgebungen mitgetheilt. Die dritte Abtheilung enthält die Geschichte der Kirche und des Schulwesens in Orlin. Die vierte Abtheilung enthält die Geschichte der Familie Orlin, von ihren Ahnen bis zu den jetzigen Besitzern. Die fünfte Abtheilung enthält die Geschichte der Familie Orlin, von ihren Ahnen bis zu den jetzigen Besitzern. Die sechste Abtheilung enthält die Geschichte der Familie Orlin, von ihren Ahnen bis zu den jetzigen Besitzern. Die siebente Abtheilung enthält die Geschichte der Familie Orlin, von ihren Ahnen bis zu den jetzigen Besitzern. Die achte Abtheilung enthält die Geschichte der Familie Orlin, von ihren Ahnen bis zu den jetzigen Besitzern. Die neunte Abtheilung enthält die Geschichte der Familie Orlin, von ihren Ahnen bis zu den jetzigen Besitzern. Die zehnte Abtheilung enthält die Geschichte der Familie Orlin, von ihren Ahnen bis zu den jetzigen Besitzern.

Antiquitatis studia quum nostra potissimum ætate ratione ac via tractari colique coepta essent, acutissimi ac prudentissimi Græcorum et Romanorum historiae indagatores bene intellexerunt, paucum admodum aut potius nihil in ea explicanda posse profici atque ad liquidum perduci, nisi accurata quædam ad rerum gestarum enarrationem accederet morum, institutorum, legum totiusque vitæ atque ingenii excolendi rationis descriptio. Satis enim abundeque quoniam constare confido, arctissimo inter se vinculo coniunctam esse historiam populorum externam atque internam, ut seiungi dissociarique altera ab altera nequeat: operæ me pretium facturum esse putavi, si primum Græcarum, deinde Latinarum etiam litterarum incrementa, progressus atque regressus explicarem eaque primorum præcipue ordinum discipulis breviter exponerem, quæ a viris doctis atque ingeniosis præclare investigata atque tractata vidissem. Hoc vero munus ut susciperem, cum aliæ, tum duæ potissimum causæ me impulerunt: una, quod eius temporis spatium, per quod populorum antiquorum historia in scholis enarrari debet, vix et ne vix quidem ad primis tantum lineis litterarum rationis imaginem describendam sufficere videbatur. Quod quam vere a nobis observetur, facile, puto, qui historiae tractandæ partibus functi sunt, affirmabunt neque eosdem in dubium vocare existimaverim, nullum neque in aliarum disciplinarum neque in historiae tradendæ ratione maius posse peccatum committi, quam omnia leviter ac parum accurate describere, ut per transennam quasi res adspiciantur, cursum nusquam inhibere atque consistere, sed ubique id unice spectare, ut ad propositum quendam certumque properetur finem, eaque, quæ perspicue ac dilucide sunt interpretanda, ut oculis cernere nobis videamur, omnisque, ut præclare dixit Livius, exempli documenta in illustri posita monumenta intueamur, perturbentur omnino atque confundantur. Meum quidem semper erat iudicium, non multa, sed multum esse in quoque doctrinarum genere docendum atque ex copiosa et accurata gravissimo-

rum maximeque memoratu dignorum historiae capitum descriptione, ita quidem instituta, ut rerum gestarum rationes atque causae ubique cognoscerentur aliaque ex alia res nexa, omnes vero inter se aptae colligataeque viderentur, in discipulos redundare fructum longe uberrimum. Haec, quam indicavimus, historiae enarrandae via quomodo iniri debeat, nihil hoc quidem loco exponere attinet, at certe iniri potest.

Altera causa, quae me commovit, ut ederem hunc libellum, unice ad iuventutis institutionem, neque vero ad doctorum virorum cognitionem comparatum, unde repetenda sit, paucis explicabo. Quodsi scilicet Graecae litterae, — liceat enim nostra potissimum aetate in memoriam revocare verba Wyttenbachii, optime de historia Graecarum litterarum amplificanda atque enucleanda meriti, — tantum habent momentum ad omnem liberalem institutionem, quantum inter omnes constat; si Graeci in omnibus artibus ac disciplinis excelluerunt, ad easque percipiendas uberrimas nobis copias reliquerunt; si scripta eorum referta sunt cum praeceptis, quibus ingenium ad rerum humanarum divinarumque scientiam ac civilem prudentiam instruat, tum exemplis, quibus animus pulchri honestique sensu imbuatur et omnium amore virtutum incendatur: optimo sane iure iustaque de causa in scholis leguntur atque explicantur e Graecis scriptoribus ii, qui, quamquam non ad unum omnes principes ingeniorum censentur, at certe summa et orationis et argumenti praestantia ac virtute florent communique iuvenum captui accommodati sunt. Jam vero proba ac diligens interpretatio quomodo institui poterit, nisi temporum atque omnis vitae scriptorum statum conditionemque explicaveris? Orationis formam, argumentique tractationem prorsus non perspicient iuvenes, nisi expositum erit, quale sit scriptoris ingenium, qua hic usus fuerit disciplina, quibus magistris, qua civitatis regendae forma atque ratione, quem denique in conscribendis libris sibi proposuerit finem. Harum rerum expositioni quum tantum temporis tribuatur necesse sit, quantum non facile ei concesseris, hanc vero ipsam ob causam nonnulla intacta relinqui debeant, quorum cognitio apprime faciat ad maiorem scriptoris explicandi intelligentiam: haud dubito profiteri, hac me opella conscribenda aliqua saltem ex parte adolescentium studia esse adiuturum.

Præmonenda.

§. 1.

Quum duo antiquitatis populi, Graeci atque Romani, omnium fere artium litterarumque genera, multis illi variisque causis ac rationibus compulsi atque adiuti, ad tantum gloriae perfectionisque gradum adduxerint, nullus ut iis laudis cumulus adici neque potuerit neque debuerit: numquam profecto homines, ubi suum atque iustum doctrinae eleianticæ rerum iudicio statuebatur pretium atque honos, litterarum antiquarum monumenta pro iis habere dubitarunt, e quorum studio ac tractatione omnis humanitatis species et forma esset petenda. Ac nobis quidem bene iusteque fecisse videntur, qui Graecas Latinasque litteras præ ceteris antiquas et classicas nuncupandas esse putarent, quippe quibus opera aut revera omnibus numeris absoluta suoque genere perfecta aut ea saltem continerentur, quæ quum satis exquisita multaue laude digna essent, tantum non eam, quam concepissent scriptores animo menteque imaginem, elaborando exprimerent ac proponerent. Hoc omni tempore iis, quibus his de rebus iudicium est, adeo probatum fuit, ut in litterarum antiquarum studiis optimam ac præstantissimam iuvenum ingenii pariter conformandi atque animi excolendi rationem viamque sitam esse affirmarent neque profecto multum a vero aberrare existimamus, qui non facile quemquam nisi antiquitatis cognitione eruditum ac nutritum in aliquo disciplinarum genere lacte feliciterque progressurum esse confiteatur.

§. 2.

Graecæ litteræ quum partem tantum efficiant litterarum artiumque ab hominibus inventarum et exultarum, Graecarum autem litterarum historia

principem fere ac praestantissimum locum obtineat: ante omnia paucis exponendum esse putamus, quae sit in universum litterarum notio, deinde quid sibi velit litterarum historia quodve habeat propositum, denique quibus rebus haec differat ab aliis diciplinarum generibus ipsi cognatis. —

Litterae iam vero omnia, quaecunque populus aliquis excogitavit scriptisque commendavit, ita complectuntur, ut, neque formae neque argumenti ratione habita, quae ingenium edidit, ad illarum quodammodo orbem ambitumque revocari debeant. Tantum igitur abest, ut merito nonnulli viri docti excludenda esse atque segreganda aliquot scriptorum genera censerint, ut ne minima quidem ab ingenio excogitata verbisque expressa negligi atque omitti par sit.

At quæsierit fortasse quispiam, quid de iis ingenii operibus statuendum sit, quae alio ac patrio sermone, sive ut certius id, quod volumus, indicemus, a Græcis latina, a Latinis Græca conscripta sunt oratione. In dirimenda hac contraversia quale iudicium debeat ferri, vix in obscuro esse poterit, dummodo diligenter observetur atque constanter teneatur illud: linguæ totamque cogitandi ac sentiendi rationem ita coalescere et in unum quasi confundi, ut, si alterutrum moveris, vitam ipsam et innatam populo naturam ingeniumque ademisse, tamquam solem de cælo, dicendus sis. Suis enim sermo non solum vocabula conformandi et construendi utitur regulis, sed notionum etiam sententiarumque in intimis animi recessibus concipiendarum atque oratione explicandarum tam certam ac propriam legem observat sequiturque, ut peregrinum quiddam sonare, imo externa ac barbara prorsus lingua loqui putandi sint, qui a peculiari ac nativa sermonis indole recesserint. Quod tamen non ita intellectum voluerim, ac si omnino prætermitti debeant alio ac patrio sermone consignati libri, quippe qui singulorum scriptorum studia atque ætatis ingenium cursumque quodammodo significant, sed hoc tantum rectissime mihi asseverare videor, talia ingenii mōnumenta ad neutrius, neque ad eius, ex quo oriundus, neque ad illius, cuius sermone in conscribendo opere usus est scriptor, populi litterarum historiam revocari posse, effici potius novum quoddam atque singulare scriptorum genus, quod natura sua bipartitum atque varium esse dicas.

§. 3.

Græcarum litterarum historia ad earum disciplinarum numerum referenda est, quibus antiquitatis sive philologiae studia continentur. Philologiae vero, quae ex antiquitatis populis Græcos unice atque Latinos respicit in iisque tractandis versatur ac describendis, hic summus propositus est finis, ut tota populorum illorum vita atque ratio ex iis, quæ ad nostram usque ætatem servata sunt, monumentis ingenique vestigiis ita explicetur et quasi reficiatur, ut, qui dudum e vita decesserint, eos muneribus æque publicis ac privatis negotiis fungentes conspicere liceat. Populi ingenium atque mores quum ex his maxime rebus diiudicari possint ac debeant, quæ quantaque is gesserit bella, quibus obtemperavit legibus qualique obstricta fuerit imperii specie, quam sibi finxerit religionis formam, quæ fabulæ et imagines ex summa atque ultima in numine componendo et perscrutando idea emanaverint, quam denique, id quod arctissime cum religionis rationibus cohaeret, inierit animi ingenique excolendi et conformandi viam quidque præstiterit in quovis doctrinæ artiumque genere: plures disciplinæ existant necesse est, ex quibus omnis Græcorum Latinorumque cognitio pendet: historia, antiquitates, mythologia, litterarum artiumque descriptio, linguæ denique grammatica atque metrica scientia. Ex his, quas enumeravimus, philologiae disciplinis quum antiquitatum notio atque ambitus ab aliis aliter definiantur, accurata autem rationis illarum modique intelligentia ad reliqua studiorum genera perspicienda ac suo quodque loco collocandum plurimum conferat: quod hoc ipso loco paulo altius repetatur, argumentum quam maxime dignum exstare videtur. Atque historiæ quidem munus in eo versatur, ut eodem, quo gestæ sunt, ordine res exponat, bella ac paces earumque sive prosperas sive miseris damnosaque conditiones describat, coloniæ quæ deductæ fuerint, quæque ex iis commoda, quæ incommoda exstiterint, accurate referat, populorum igitur, ut brevi dicamus, origines, incrementa atque interitus, temporum locorumque ratione diligentissime habita, explicet et in explicando talem sequatur normam ac legem, ex qua stabilis veraque rerum diiudicatio profi-

ciscatur oportet. Jam vero historia quamvis in continua rerum gestarum narratione quod ingenium, qui mores cuiusque aetatis hominibus fuerint, ostendere debeat: tantum tamen abest, ut in eorum, quae certo quodam ordine redeunt quaeque ex legibus, institutis et consuetudinibus populorum pendent, descriptione commoretur, ut ea, quibus tamquam firmis atque statutis fundamentis publica privataque civium vita decurrat atque universa rei publicae conditio contineatur, eius disciplinae partibus exponenda committat, cui antiquitatum nomen inditum esse videmus.

§. 4.

At non recte hoc fecisse arbitramur viros doctos saeculi post Christum natum decimi septimi et octavi (*Jacobi Gronovii* thesaurus antiquitatum Graecarum. Lugd. Batav. 1697—1705. — *J. Georgii Grævii* thesaurus antiquitatum Romanarum. Traiecti ad Rhen. 1694—1699. — *Poleni* utriusque thesauri nova suppl. Venet. 1737.), quos ad hunc usque diem secuti sunt ii, qui de eiusmodi argumentis disputaverunt, quum longe alia fuerit apud Romanos vocabuli antiquitatum significatio, quam porsus omisit *Matthias Gesnerus*, diligentius exposuit *Aegidius Forcellinus*. Commemorat scilicet *C. Plinius Secundus* in *Historiae Naturalis* praefatione, multos scriptores libros suos, in quibus res antiquas persequerentur, antiquitates inscribere esse solitos. Saepius usurpavit vocabulum *Aulus Gellius* in *Noctibus Atticis* lib. V, 13. XI, 1. XIII, 12 — quibus ex locis colligi unice potest, significari antiquitatum nomine temporum populi cuiuslibet antiquiorum historiam eorumque, quae aut interierunt omnino aut aliam in formam mutata sunt, institutorum ac legum descriptionem. Prorsus igitur conspirat vocabuli Latini vis ac potestas cum Graecorum *archaeologia*, qualem cum alii, quorum opera temporum iniquitas abstulit, tum *Dionysius Halicarnassensis*, qui, quum inde ab anno tricesimo primo usque ad a. nonum ante Chr. nat. Romae commoraretur, historiarum libris viginti populi Romani origines, rei publicae formam atque instituta resque gestas

usque ad belli Punici primi initium enarravit, — atque *Flavius Josephus*, anno p. Ch. nat. tricesimo septimo Hierosolymis ex nobili quadam sacerdotum familia oriundus, scripserunt.

Græci, qui operam suam atque studium mature in earum rerum disceptatione collocabant, quæ ad rerum publicarum formas, leges et instituta spectant, significantius iis, quæ explicabant ac tractabant, argumentis nomen imponere solebant. Postquam ii, qui dicti sunt *logographi*, postea Herodotus, Thucydides, Xenophon, alii Græcorum res gestas enarraverant: coepta est aliis libris comprehendi atque exponi historia, aliis describi Græcorum et barbarorum mores, leges et civitatis administrandæ ratio. Peripateticorum princeps intelligentissimusque rerum arbiter *Aristoteles*, Stagiritis, cum in nullo non doctrinæ genere excellens fuit atque admirabili usus est ingenio, tum summa eius virtus et perfectio in libris de rei publicæ administranda ratione compositis cernitur. Ac non ipse tantum magister, quæ cogitabat de civitatis regendæ legibus, aut copiosius aut brevius litteris consignavit, sed multis etiam discipulis, ut retractarent atque amplificarent argumentum, fuit auctor. Præstantissimi vero Aristotelici ingenii et alia monumenta insignia et divinum maxime illum librum temporis nobis iniuria ereptum lugemus, in quo omnium fere civitatum non Græciæ solum, sed etiam barbariæ mores, instituta ac disciplinas expositas fuisse observat Cicero libro de Finib. V, 4. Qui liber, cuius fragmenta etiam nostra ætate collecta atque explicata sunt, quanti momenti fuerit, ex eo facile coniciamus, quod, quæcunque nobis de Atheniensium re publica tradita sunt, ad eum tamquam fontem atque originem debent revocari. Quo igitur opere quum centum quinquaginta octo civitatum formas explicuisset, omnium quodammodo summam, quæ de optima rei publicæ natura ac ratione acutissime erat meditatus, fere sexagenarius libris octo commendavit. Exposita societatis civium origine atque descripta earum, quæ aut revera erant, aut quas cogitatione menteque complexi fuerant philosophi, rerum publicarum forma, eius, quam perfectam omnibusque numeris absolutam esse voluit Aristoteles, civitatis imaginem proposuit. Ad summi magistri imitationem plures se

composuerunt discipuli, inter quos principem facile locum obtinet *Theophrastus Eresius*, qui quamquam in philosophia non ducebat familiam, ut novus quasi ab eo disciplinae ordo nasceretur, cum alias peripateticorum doctrinae partes, tum eam præclare explanasse videtur, quæ ad rerum publicarum et constituendarum et obtinendarum rationes pertinet. Quum vero desiderentur omnes, quos ab eo de legibus legumque ferendarum ratione scriptos esse compertum habemus, libri, eum, quem commemoravimus, Ciceronis locum repetere placet, quo et Aristotelis et Theophrasti mentio fit copiosa laudeque satis plena. »Quumque uterque eorum docuisset, qualem in re publica principem esse conveniret, pluribus præterea conscripsisset, qui esset optimus rei publicæ status: hoc amplius Theophrastus, quæ essent in re publica inclinationes rerum et momenta temporum, quibus esset moderandum, utcumque res postularet. — Atque his de rebus et splendida est eorum et illustris oratio.« Ex reliquorum, qui quidem de huiuscemodi argumentis sunt commentati, scriptorum numero nominandum esse putamus *Dicaearchum Siculum*, Ciceroni adeo probatum, ut delicias suas, peripateticum magnum et copiosum, magnum et luculentum hominem et civem, virum mirabilem et historicotaton eum appellaverit. Quo magis dolendum est, quod reliquiae tantum ætatem nostram tulerunt eorum operum, quorum alterum, iambicis versibus compositum, Græciæ continebat descriptionem, altero Græcorum vita, id est sedes, instituta ac mores explicantur. Atque hunc Dicaearchi librum respexisse videtur *M. Terentius Varro*, qui cum rerum humanarum et divinarum antiquitates, tum de vita populi Romani conscripsit libros, quos temporum decursu interisse constat. Ad nostram usque ætatem pervenerunt *Gellii*, *Aurelii Macrobii* aliorumque scripta, qui excerpserunt atque collegerunt ex antiquitate ea, quorum cognitionem non inutilem fore putabant. Neque meliorem post renatas litteras ingressi sunt viam, qui in explicanda Græcorum ac Romanorum vita versabantur, quippe qui singula tantum variique argumenta generis illustrarent, neque compertum haberent, quibus antiquitates finibus essent circumscribendae. Postquam denique *Fr. Augustus Wolfius* philologiae studia ad certam quandam artis disciplinaeque rationem

adstrinxerat: via ac lege tractari coeptae sunt, quae nostris quoque diebus nominantur antiquitates.

§. 5.

Quum ergo id maxime agat antiquitatis studium, ut cognoscatur ac describatur tota Graecorum et Romanorum vita a primis inde historiae temporibus usque ad utriusque populi interitum: primum quidem artem quandam ponendam esse facile intelligitur, quae ea, ex quibus omnis Graecae et Romanae antiquitatis cognitio petenda est, monumenta adeundi et explicandi rationem indicabit. Quoniam vero omne testimonium vim suam et quasi nervum quendam habet a gravitate ac probitate eius, cui id acceptum debetur: leges definiendas ac stabiliendas esse apparet, quibus decerni possit, quid in veterum scriptis, quorum prima exempla, archetypha sive autographa, interierunt, ita ut librariorum tantum opera resecta ac litteris custodita nostram aetatem ea viderint, fucatum atque subditicium, quid sincerum et ex ipsa auctoris manu profectum sit. Ac non singula solum vocabula quum ignorantia et negligentia eorum, qui scripta sive denuo scribebant, sive typis imprimebant, corrumperentur, sed ipsi etiam libri aut librorum capita ac partes actatis cuiusdam hominibus attribuerentur, cum quorum neque cogitandi sentiendique ratione, neque scribendi facultate neque temporis ingenio conspirarent: praecepta anquirantur necesse est, ex quibus aut omnino intelligere aut suspicari liceat, utrum genuinum ac verum germanumque aliquod antiquitatis monumentum, an alia quadam aetate natum aliaque ac fertur, mente sit conceptum et elaboratum. Et harum quidem, quas attulimus, disciplinarum priorem *hermeneuticam* sive interpretandi, alteram *criticam* sive vera a falsis discernendi artem nominari voluerunt. His igitur ex disciplinis, quarum neutram, nisi subtilis exquisitaque Graecae ac Latinae linguae cognitio accedat, ne cogitari quidem posse sponte patet, altera redundat et proficiscitur philologiae pars, ipsa scilicet populorum illorum vitae contemplatio atque scientia, quae ita comparata esse

debebit, ut, quid Græcorum et Romanorum ingenii ac morum totiusque eorum naturæ atque indolis proprium fuerit, sive publicæ sive privatae vitæ rationes respicere velis, accurate doceat. Antiquitatum ambitus quamquam late patet, quippe quo etiam religionum species ac figuræ, artes litteræque contineantur: in earum tamen rerum explicatione versari tantum illæ solent, quæ ad populi antiquissimum statum ac sedes, rei publicæ administrandæ modum, iura, leges, omnia denique privatae vitæ instituta ac rem militarem pertinere videntur, quum, quas diximus, religio, artes litteræque ad singulas totidem disciplinas revocari coeptæ sint. Ac præclare nobis observatum nuper esse videtur a Niebuhrio, qui utinam ea, quæ tradidit olim de Romanorum antiquitatibus, consignasset litteris, non aptius potuisse inveniri vocabulum, quo, quæ antiquitates solerent dici, significarentur, quam Dicæarchi titulo *Vita Græcorum* atque M. Terentii Varronis *Vita populi Romani*.

§. 6.

Postquam igitur expositum est, Græcarum litterarum historiam antiquitatis disciplinæ partem quandam efficere: accuratius iam explicabitur, quale sit eius munus et quæ officia explere debeat. Ac recte quidem, ut eo, unde egressa est, redeat oratio, commemoravimus, omnia, quæcunque populus excogitaverit atque scripserit in quovis doctrinæ artiumque genere, ad litterarum historiam esse referenda, quippe quibus ingenii exculi viæ et normæ monumenta contineantur. Sed nimis prolatus esse ac latius patere explicationis nostræ fines, facile apparebit, siquidem legem quandam ac rationem constituas, qua metiri et diiudicare ingenii monumenta volueris. Triplicem enim rationem in litterarum operibus describendis ac disponendis iniri posse, sic colligi existimaverim. Si quis ipsam formam genusque dicendi aut argumentum unice ac sententiarum nexum sive ordinem gravitatemque respexerit, historia oriatur doctrinæ artiumque oportet; deinde vero linguæ naturam, incrementa, progressus ac regressus si perscrutatus

eris: orationis exultæ ac perpolitæ aut vitiatæ historiam sive grammaticæ viam indicabis. Jam vero orationis pariter figura et ratio atque argumenti præstantia et virtus ita coniunctim in iudicium vocari poterunt, ut inquiretur ubique, utrum ad summam quandam imaginem ac perfectionem sint elaboratæ et expressæ, an recedant et aberrant a certa illa et cogitandi et dicendi lege, quæ a Græcis scriptoribus inventa, exulta ac suis denique notis insignita fuit. Constituantur igitur oportet genera quædam dicendi, ad quæ referas quibusque adstringas ingenii opera, si quidem in eorum societatem pervenire voluerint, quæ sibi litterarum historia tractanda et recensenda tradita esse putabit. Quum vero in quovis ingenii opere nihil saltem existere soleat, quod quidem aliqua ex parte satisfaciatur legibus ac perfectionis normæ: omitti omnino ne unum quidem poterit, ne intermittatur historiæ series atque ordo. Atque hoc loco eo deducta esse videtur disputatio nostra, ut quæstio hæc dirimatur oporteat, utrum ea, quæ unius eiusdemque generis sunt, a primis inde incunabulis usque ad extrema historiæ tempora exponi debeant, an nulla generis ratione habita ita, ut ætates tulerunt, singula ingenii munimenta enumeranda sint ac proponenda. Eorum, qui litterarum et Græcarum et Latinarum historiam scripserunt, si libros consulueris, hærebis profecto, quum alium aliam viam ac legem secutum esse videris; nobis quidem in universum ea præferenda esse videtur, quæ singula litterarum genera ita describat, ut uno quasi obtutu conspiciatur, quantum in quavis specie præstiterint Græci neque tamen desit descriptio et explicatio artium litterarumque per singulas ætates culturarum viæ atque rationis.

§. 7.

Hanc vero litterarum historiæ enarrandæ rationem quamvis longe aptissimam esse iudicemus, tantum tamen abest, ut temporum spatia negligi posse atque omitti statuamus, ut plurimam in iis constituendis atque certo

annorum numero quodam includendis operam atque diligentiam collocandam censeamus, quippe qui extra omne dubium positum arbitremur, populorum omnium res gestas atque ingenii expoliendi atque erudiendi rationes sese invicem excipere neque litterarum historiam satis percipi posse, nisi bellorum, expugnationum et calamitatum ordinem cognoveris. Quod cum aliis locis, tum plurimis veterum populorum exemplis comprobari reperimus.

Ac litterarum quidem Græcarum ut iam accuratius definiamus periodos sive ætates, eas proponemus, quæ ab intelligentissimis harum rerum arbitris copiosius explicatas atque argumentis satis gravibus stabilitas esse comperitum habemus. Multæ enim ac variæ illarum describendarum singulis sæculis a viris doctis viæ inite sunt, quas enumerare cum longum est, tum nihil profecto ad adiuvandam vereque amplificandam eius rei cognitionem confert. Longe scilicet plurimam atque uberrimam sibi laudem peperisse eximieque esse meritum de Græcarum Romanarumque litterarum ætatibus, ex bellorum pariter vicissitudinibus atque rerum publicarum commutationibus ceterisque fortunæ motibus, conficiendis Frid. Augustum Wolfium, hunc ipsum postea præ ceteris secutum esse Franciscum Passovium, abunde constat inter eos, qui huiusmodi argumenta leviter tantum attigerunt. Quorum virorum iudicia quum nostra quoque ætate probanda putemus, perpaucis tantum locis illorum vestigia deserenda esse censebamus, non quo meliora a nobis traderentur, sed quod ex nostra ratione singulos ætatum ordines, utpote simplicius atque dilucidius dispositos, facilius mente comprehendi opinabamur.

§. 8.

Prima Græcarum litterarum ætas, quæ ab antiquissimis inde temporibus incipiens ad Persica usque bella extenditur, magnum annorum numerum complectitur, per quos primum quidem unum tantum poesis genus, *epicum* scilicet, viget, cuius speciem heroicam ab Jonibus in Asiæ, quæ dicta est, minoris ora, didacticam ab Acolensibus in Bocotia habitantibus cultam esse

scimus. Deinde vero etiam *lyrica* poesis invenitur atque ad summum pervenit perfectionis gradum, *drama historiarum* sensim emergere incipiunt.

Huius periodi quum longe maxima pars summa prematur obscuritate tenebrisque sit offusa, ut mire prima Graecae historiae tempora fabulis commixta atque turbata reperiamus, quas vix et ne vix quidem explicare sive enucleare potueris: coniecturis profecto utendum erit et conclusionibus, ut, quoad eius fieri possit, probabilia eruantur. Graeciae primorum incolarum origines unde repetere debeamus, quamvis perspicue non sit traditum neque ad hunc usque diem satis demonstratum: id tamen constanter ab omnibus historiarum scriptoribus memoriae est proditum, iam antiquissimis temporibus plures cum ex aliis terrae regionibus tum ex Asia praecipue in Graeciae regiones invasisse nationes, quae nominum, morum religionumque diversitate quam maxime inter se differrent. Horum populorum longe gravissimum atque clarissimum fuisse Pelasgos, sive orationis indolem, sive cultus divini naturam, sive operum exstruendorum totiusque denique vitae rationem respicias, ex multis vestigiis recte colligendum esse, nunc quidem satis superque constat. Ipsi vero Pelasgi ceterique, qui commemorantur, coloni, Phoenices, Phryges, Aegyptii, alii quum ab omni humanitatis specie litterarumque studiis longe essent remoti, frustra apud eos poesis incunabula quaesieris. Haec igitur ubi reperienda sint, quum interrogaveris, tantum abest, ut ab exteris nationibus artes acceptas esse statuum sit, ut in patria terra eas quodammodo natas, Graecis revera proprias et ab ipsis unice excultas summum elegantiae acumen attigisse, nemo iam dubitaverit. Ac Graecorum quidem fabula ad Deucalionis notissimum illud diluvium Hellenemque filium revocanda satis nota est. Ex septentrionalibus igitur terrae illius regionibus poesis originem duxisse videtur, quod cum aliis indicis tum iis maxime fabulis probatur, quae de Thraciae incolis eorumque religione totoque deorum cultu feruntur. Carminum illorum argumenta quum in deorum heroumque, diis prognatorum, laudibus hymnisque versarentur quumque praecepta quaedam atque monita contineant: homines a morum immanitate ad mitiorem elegantio remque vivendi rationem, ad deorum metum, legum denique iurisque sanctitatem traducti

esse putandi sunt. Sed et rerum natura versibus descripta sive tractata esse traditur, ut mirum non sit, quod antiquissimis temporibus poetae soli dicuntur *sapientes* summisque afficiuntur honoribus.

§. 9.

Quaquam ad unum omnia illa carmina antiquissima interierunt, poetarum tamen sive vatum nomina aliquot posteritati tradita sunt, quae sancte pieque colere solebant Graeci. Ac prae ceteris quidem relata legimus plurima de *Eumolpo*, tradito Eleusiniorum sacrorum auctore, *Lino*, *Philamone*, *Melampo*, *Orpheo* atque *Musæo*, qui, quum ex Pierum praestantissima Thraciae gente essent orti, sacrae poesis conditores fuisse perhibentur. Huc praeterea spectant innumerae illae de *Olympo*, Deorum sede Musarumque *Pierides* dictarum religionibus fabulae. Inprimis vero mythis ac laudibus cumulavit antiquitas *Orpheum* (a. 1250 a. Chr. n.) eiusque uxorem *Eurydicen*, miseram poetae mortem, denique caput *Iyam*que in Hebrum proiecta. Missa faciamus sacra illa arcana totamque *Orphicorum* scholam sive sectam, quae legibus quibusdam adstricta per longam annorum seriem floruisse fertur. Carminum autem, quae hodie quoque leguntur — *Argonautica*, *Hymni*, *Lithica*, *Fragmenta* — ne litteram quidem ab *Orpheo*, quaquam ad nostram usque aetatem huic attributa sunt, esse scriptam, doctorum virorum ingenio atque opera prorsus esse demonstratum constat.

Graecarum civitatum formam hac antiquissima aetate non solum non certis legibus exultam, sed potius fere nullam fuisse, quum diuturnae *Hellenis* posterorum, id est, multarum cognationis vinculo inter se coniunctarum nationum per totam Graeciam migrationes commemorantur, vix est quod observetur. Ex illis Graeciae populorum, quae traduntur, rebus gestis atque conversionibus longe gravissimam atque clarissimam fuisse ad Troiam expeditionem, facile apparet, quum omnes fere ex diversissimis terrae partibus homines convenirent atque tum temporis primum coniunctis viribus atque copiis contenderent, ut certum quoddam propositum ad finem perducerent. Varias licet ab historiarum scriptoribus de

bello Troiano prolatae sint coniecturae atque opiniones, nobis tamen persuasum est, revera a Graecis in Asiam factam esse expeditionem militarem, qua feliciter superata populi animus est auctus ipsique Graeci intelligere coeperunt, patriam amorem atque concordiam uberrimos esse fortium facinorum fontes atque origines.

Graecos igitur in ingenii cultu augendo atque promovendo bello Troiano summopere esse adiutos, poeticam eorum facultatem mire quodammodo esse nutritam atque excitatam, animos denique ad altiora quaeque evolasse aliaque prorsus atque antea mente eos conspexisse rerum vicissitudines, nemo est, qui addubitaverit. Urbis divinae, summis atque innumeris periculis superatis, expugnatio, Priami eiusque populi extinctio ante omnium Graecorum oculos quum versarentur filiisque a patribus, qualia quantaque gessissent maiores, traderetur: fieri non potuit, quin letissima rerum in campis Troianis praclare gestarum conservaretur memoria atque mentibus insideret et praeteritorum temporum imago et futurae effloresceret gloriae desiderium. Ac motus illi domestici, qui ex tam diuturna principum ducumque expeditione bellica multis Graeciae sedibus exstiterunt, quamquam miserrimum praebent aspectum summamque commovent indignationem, ut in tristissimo Ulixis funestoque Agamemnonis reditu lacrimis vix abstinueris, aliae tamen ut peterentur regiones patriumque relinqueretur solum quum efficerent, ad exercendas atque corroborandas ingenii corporisque vires plurimum contulisse nobis videntur.

§. 10.

Heraclidarum, quae secutae sunt, turbae atque migrationes quum et gravissimae essent longissimeque paterent, ita ut Jones, quum maxima eos hominum copia ingrederetur, quas incoluerant, Aegiali relinquerent sedes Atticamque, unde profecti erant, repeterent regionem: eo iam terrae huiusce incolarum numerum accrevisse videmus, ut Neleo, Codri filio, aliisque duci-

bus multi Græciæ homines in Asiam minorem traicerent atque in Lydiæ, Cariæ multarumque insularum oris eas conderent et instituerent res publicas, quas morum, consuetudinum, linguæ, totius denique vitæ præstantia atque elegantia non solum floruisse, sed ipsam etiam patriam superasse compertum est. Hæc, quæ commemoravimus, more suo brevissime quidem sed præclarissime indicavit Thucydides lib. I, 12, cuius verba quæ accuratius inspiciantur longe sunt dignissima. Et hoc quidem loco facere non possumus, quin summis efferamus laudibus belli Peloponnesiaci scriptorem, quod in explicandis atque perscrutandis Græciæ temporibus antiquissimis eas iam partes egerit, quibus quæ ad credendum sint probabilia quæque abhorreant a veritatis specie, luculenter est expositum. Quæ gravissimus hic atque accuratissimus rerum auctor memoriæ mandavit primis viginti historiæ capitibus, ea tanta ingenii sagacitate atque subtilitate conscripta sunt, ut, qui singularem huic criticæ operis præstantissimi parti operam navare voluerit, egregie de Græcorum historia meriturus esse videatur.

Ex Heraclidarum atque Doriensium in Peloponnesum migrationibus quum nova quædam et per longam annorum seriem mansura existisset Græciæ forma singulisque gentibus firmæ et stabiles quodammodo attribuerentur sedes ac domicilia: eam in primis civitatum commutationem factam esse ex iis, quæ supersunt, historiæ indicîis, quamquam multa vix et ne vix quidem explicari poterunt, rectissime colligimus, ut regia ubique potestate duorum fere sæculorum (1100—900 a. Chr.) decursu dissoluta pluribus committeretur summa rerum administratio eaque sensim efflorescerent res publicæ, quæ, quamvis multis obnoxia essent vicissitudinibus et in summa rerum fortunaque varietate versarentur, sibi tamen constiterunt pristinamque retinuerunt imperii speciem. Ipsos iam vero Græcos ab eo inde tempore mores, linguam, vitam denique privatam et publicam magis magisque excoluisse etsi coniectura assequi potueris: id tamen extra omnem controversiam positum esse statuimus, longe maximum ingenii cultum profectum esse ex colonorum in Asia minore sedibus, qui eo totius vitæ elegantia atque splendoris processerant, ut artium litterarumque fontes ab iis derivandos esse merito censeas.

§. 11.

Haec vero colonorum, Jonum maxime atque Aeolum, ingenii incrementa quo facilius per Graeciam disseminarentur atque manarent, cum aliae fuerunt causae, tum eo maxime nobis effectum esse videtur, quod communi quodam atque arcissimo omnes Graeciae gentes coniungebantur vinculo, ludorum scilicet publicorum, praeceteris Olympicorum, celebritate atque iudicii illius, quod quidem Amphiction, Deucalionis filius, instituisse suoque ipsius nomine appellasse fertur, rectius vero ad Amphictiones sive populos circum templum atque oraculum Delphicum habitantes revoces, sanctitate et severitate. Amphictionum societas quam lactos ac prosperos ubique effuderit fructus, sive concordiam aequis iuribus conservandam et stabiliendam, sive mansuetiorem ac molliorem in universum animi statum respicias, iam ex eo facillime apparet, quod inter ipsas Graeciae gentes bellum non solum non suscipi, sed ne consilium quidem gerendi iniri debebat, nisi aut omnia, quaecunque aderant, litis componendae artificia erant adhibita, aut dimicantes ac ligitantes inter se gentes societate exclusas esse ii, qui praerant foederi, declaraverant. Quam legem et consuetudinem quum posterioribus temporibus non amplius valuisse relatum legimus, hoc ipsum pro certissimo instantis Graeciae interitus vestigio habendum esse, haud dubie est confirmandum. Hoc est illud praeclarissime a Demosthene saepissimeque repetitum, summum esse Graeciae hostem civilem illam discordiam, quae oculorum pariter ac mentis aciem praestringeret communemque patriae salutem negligendam esse iuberet.

Neque profecto nullius momenti fuerunt oraculi Delphici responsa, quae prima ac melioris quidem notae aetate ita videmus esse comparata, ut Graecarum civitatum commodis pariter atque singulorum hominum utilitati diligenter prospicerent. Deorum enim quum summa Graecorum mentibus innata esset veneratio omnique ii studio et opera incumberent ad excolenda religionis sacrorumque praecepta: sponte apparet, quantus oraculo quoque Delphico habitus sit honor, quum divinas Apollinis voces, quarum despectum exquisitis deus affecturus esset poenis, edi putarent. Piam hanc oraculorum

reverentiam temporis decursu esse imminutam, postquam eorum, qui responsa dabant, artificia partiumque studium deprehendi magis magisque et intelligi coepta erant, multis historiae locis comprobatur neque profecto id mirum videbitur, quum reputaveris, sinceram illam atque priscam morum integritatem ac nativum et simplicem sentiendi cogitandique modum esse depravatum eiusque locum obtinuisse omne vitiorum et turpitudinis genus. Atque eius, quam primo loco attigimus, oraculi Delphici potestatis magnam exemplorum copiam attulit, quem ipsum divino quodam spiritu repletum audimus narrantem, Herodotus. — His igitur institutis accidisse putabimus, ut ferociores ac rudiores Graecorum animi mitigarentur, mores emendarentur illeque patriae amor excoleretur, qui omnes Graeciae civitates inter se coniunxit atque copulavit.

Ad ipsa vero poetarum sive scriptorum ingenii monumenta ut redeat oratio: profecto mirari nos subit, quod per trium, quæ Orpheum insecuta sunt, sæculorum aetatem omni Graecarum litterarum notitia ita caremus, ut ne nomina quidem ad nostra tempora servata sint. Qua ex tristissima rerum conditione cum acerbissimum oportet suscipere dolorem omnes, qui multos illos historiae locos nondum satis explanatos accuratius velint perspicere, tum densa quodammodo tenetur caligine carminum illud epicorum genus, quod statim, ut primum exstitit, ad summum perfectionis gradum omnibusque numeris absolutam argumenti orationisque elegantiam apud Jones evectum videmus.

Homerus qua ratione ad unam omnes poesis epicae virtutes exprinere divinumque illum atque suavissimum Musarum cantum effundere potuerit, quanquam per longum annorum numerum quaesitum varietate explicatum est: nemo tamen nobis difficillimum hoc argumentum rectius tractaturus esse videtur, nisi qui plurima carminum epicorum conamina praecessisse multumque operae in hoc maxime poesis genere excolendo Graecos Asiae minoris incolas posuisse ita statuerit, ut praestantissimum eorum ingenium serenissimo caelo laetissimaque anni temperie egregie adiutum esse dicat.

